



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

825. Quænam beneficia inter se permutari non possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

sponsonem S. Congregat. ad c. 15. sess. 25. Trid. quam refert Chok. loc. cit. Decretum illud Tridentini, quo cavetur, ut, si pater & filius in eadem Ecclesia beneficia habere conperiantur, cogatur filius suum beneficium resignare vel permutare, locum non habeat in filio, etiam illegitimo, habente beneficium patrimoniale, quod permutari non potest in Ecclesia, in qua idem Pater habet, ei tamen non infertur ob Paralytum, si concessum sit tali filio, ut retineat, quia permutare non potest. Id tamen sic intelligendum, ut non resignentur, vel etiam permutentur iis, vel cum iis, qui quoque filii patrimoniales, seu incolæ ejusdem loci sunt, juxta expressam Rotæ decis. in Jacensi Rectoria. 19. Octob. 1598. quam citat Chok. loc. cit. ubi dicitur: beneficia, quæ debentur ex indulto Apostolico filiis Patrimonialibus, non possunt permutari ad favorem filiorum non patrimonialium.

13. Duodecimò: Beneficia juris patronatûs, qualiter autem ad eorum permutationem requiratur consensus patroni, vide fusè explicatum supra, ubi qualiter resignari possint ea beneficia.

Quæstio 825. Quenam beneficia inter se permutari non possint?

1. **R**espondeo primo: Beneficia reservata Papæ, sive generali sive speciali reservatione, vel etiam quorum unum reservatum, & alterum non reservatum, permutari non possunt coram Ordinariis, vel etiam Legatis de latere, sine speciali Sedis Apostolicæ mandato. Chok. de permut. p. 2. c. 2. num. 2. 3. 7. Ventrigl. to. 2. annot. 4. §. 1. nu. 26. Vide hoc ipsum fusè tractatum supra, ubi, num reservata resignari valeant. Atque ita jam etiam permutari nequeunt, super quibus à Sede Apostolica concessa est expectativa, ne illudantur expectantes. Paris. l. 2. q. 10. nu. 2. & 3. Illud hic observandum, quòd etiam permutatio reservatorum facta auctoritate Papæ valeat, etiam nullà factà mentione reservationis, dum reservatio generalis est, & nota in Curia; eò quòd verisimile sit, Papam scivisse ejusmodi reservationem; non tamen subsistat in hoc casu, si reservatum est beneficium reservatione speciali, seu particulari, & secretà, factà in favorem certæ personæ, eò quòd Papa potuit esse nescius istius reservationis, eò quòd in dubio nemini præjudicare velle præsumatur. Chok. loc. cit. c. 3. num. 1. & 2. citans Gamb. ad c. licet. de rer. permut. in 6. n. 45. Federic. de Senis tr. de permut. q. 4. Mandos. ad reg. 1. Cancell. q. 13. n. 4. Milis in repertor. v. permutatio facta per Papam. Possè tamen istis permutationibus succurri per gratiam; quam vocant perinde valere, quæ solet impetrari, cum quis dubitat, primam Papæ gratiam seu provisionem ex aliqua causa impugnari posse, ut perinde valeat, ac si valida fuisset tempore impetrationis, tradit Chok. ibid. n. 3.

2. Secundò: Beneficia exempta in hoc sensu, quòd soli Papæ subiecta; non nisi coram Papa permutari possunt. Paris. l. 2. q. 8. num. 4. juxta dicta aliàs de resignatione exemptorum.

3. Tertiò: Beneficia unita permutari nequeunt: cujus plures extensiones, & limitationes vide supra, ubi, an, beneficia unita resignari possint. Quibus hæc addenda limitatio, quòd si unio non præcesserit totam permutationem, sed præcesserit quidem collationem beneficiorum resignatorum permutationis gratiâ, secuta autem sit post resignationes illorum beneficiorum, non impediatur

permutatio; cum gratiâ permutationis facta sint illæ resignationes. Chok. de permut. p. 2. c. 8. nu. 2. citans Pet. de perusio. tr. de permut. p. 1. q. 6. Caccia-lup. de unionib. a. 8. q. 13.

4. Quartò: Beneficium, cujus titulo quis promotus est ad Ordines. Ventrigl. loc. cit. nu. 45. qui hanc adjicit limitationem, nisi factà mentione hujus tituli, citâtque Gratian. discept. for. c. 159. n. 3. & Barbof. de pot. Ep. p. 2. alleg. 19. n. 43. Vide de hoc dicta pluribus supra, ubi, an resignari queat tale beneficium.

5. Quintò: Permutari nequeunt litigiosa; quia durante lite conferri nequeunt, Castrop. de benef. d. 6. p. 3. §. 2. n. 6. Azor p. 2. l. 7. c. 29. Garc. p. 11. c. 4. n. 20. contra Rebuff. in pr. p. 2. tit. de permut. n. 33. contrarium inveniunt; eò quòd ex permutatione litigiosi beneficii nullum Ecclesiæ detrimentum proveniat, modò, in quem translatum est, non sit potentior. Ratio responsonis pater, quia tale beneficium nec in favorem tertii resignari potest (de quo vide dicta fusè supra, ubi, an beneficia litigiosa possint resignari) neque beneficia durante lite conferri possunt, ut Castrop. loc. cit. & beneficia compermutanda debent esse compermutantium pacificè, ut Garc. loc. cit. De cetero videtur nihil obitare, quòd minùs tale beneficium litigiosum permutetur cum alio beneficio quietè possessio à colligante; cum in ejus favorem cedi possit beneficium litigiosum, & sic purgetur vitium litigiosi & lis extinguatur, ut eidem jam conferri valeat, etiam ab Ordinario.

Quæstio 826. An unum beneficium pro pluribus permutari possit?

Respondeo affirmativè; quia unum pluribus æquivalere potest. Chok. de permut. p. 2. c. 17. n. 1. Castrop. loc. cit. n. 8. citans Rebuff. in pr. loc. cit. nu. 40. Nav. conf. 43. de simon. n. 3. Azor p. 2. l. 7. c. 29. q. 12. Garc. loc. cit. num. 14. citans plures alios; modò tamen nihil obstat, à compermutante illo ea plura beneficia possideri. Castrop. Garc. l. cit. fieri enim possent, ut voleas illa plura permutare pro uno illa plura, utpote incompatibilia possideret cum dispensatione Papæ, in quo casu non succederet illa permutatio, dum alter compermutantium simili dispensatione instructus non esset; dispensatio enim est personalis, & personam dispensati non egreditur. Chok. loc. cit.

Quæstio 827. An, & qualiter beneficia inæqualia (puta, quia unum est dignitas, vel conjunctum cum jurisdictione, administratione rerum Ecclesiasticarum, cum Cura animarum &c. Alterum sine talibus seu simplex: Item quia unum amplius habet redditus, alterum tenues) permutari inter se valeant?

1. **R**espondeo ad primum: Prælaturas, dignitates, similisque beneficia duplicia: Item curata cum simplicibus permutari posse, etiam coram Ordinariis, dum aliud nihil, v. g. racione reservationis, incompatibilitatis &c. obstat, dictum est paulò antè. Possunt quoque ea; quæ uberes redditus habent, permutari cum tenuibus, modò fiat coram legitimo Superiore modo debito, aliudve speciale nihil, præcipuè fraus obstat. Ventrigl. to. 2. annot. 4. §. 2. n. 40. Azor p. 2. l. 7. c. 29. q. 9. ubi